

§. 6. De Parochis, Viduis, Senio confectis, et in servitiis suae Majestatis, vel Dominorum Magnatum constitutis; Articuli jam superinde conditi, hoc quoque loco pro insertis habeantur:

§. 7. Ac tandem Status et Ordines illorum Regnorum suae Majestatis demisse supplicant; ut pro talibus extraordinariis ac periculis necessitatibus, extraordinarie quoque, et majori copia de pulveribus et munitionibus eidem Regno (alioquin talibus valde destituto) tempestive providere; ac tempore aperti belli, milites tam Germanos, quam Natos, in Praesidiis illorum Confiniorum constitutos, sub modernis ipsorum Militaribus Praefectis et Officialibus, ad veterem antea tali tempore belli observatum Numerum, adimplere; et intra Praesidia illorum Confiniorum collocare et conservare; Ulteriora vero externa sua, et Vicinarum Provinciarum subsidia, in finibus ac terminis ipsarum Provinciarum illi Regno vicinis, pro extremo succursu intertenere; talibusque subsidiis externis, de Annona et strictiore disciplina, providere benigne dignetur: Siquidem Regnum illud et suis, et externis militibus, per se solum, de victualibus providere, sufficienter non posset: Nihilominus tamen de Annonario quoque subsidio in Congregationibus suis, in facie loci celebrandis, tractare et pro sua possibilitate concludere; et concurrere non intermittet. \*)

*Ratione exolutionis et intentionis certorum peditum, ex contributionibus Portarum et media Tricesima in Regno Sclavoniae fienda.*

#### Articulus 86.

Ac tametsi memoratum Regnum Sclavoniae, juxta Art. 9. Anni 1596. ad mediam duntaxat Regni Ungariae Dicam, adinstar Dedititorum solvendam, de veteri more obligatum sit; idem tamen Regnum, etiam per decem florenos Rhenenses, ad unamquamque Portam contributiones imponere consuevisset, et ex hujusmodi contributionibus in medio sui imponendis ac limitandis; et ex media quoque Tricesima ibidem continuanda, exactoriisque illius Regni per Tricesimatores administranda, imposterum quoque pedites, circiter quingentos, pro sua et vicinarum Provinciarum defensione exolvet et intentebit; juxta Articulum 4. Anni 1649. et Articulum 7. Anni 1638. ac Art. 8. Anni 1597.

*Judicia Octavia, et Brevia suo loco, et Terminis consuetis, per Dominum Comitem Banum, juxta infra citatos Articulos celebrentur.*

#### Articulus 87.

Ad clementem suae Majestatis admonitionem, in benignis suis Propositionibus factam, Status quoque et Ordines Regni Croatiae et Sclavoniae, demisse consentiunt ac decernunt; ut Judicia Octavia et Brevia illorum Regnorum fre-

\*) Allegatur et urgetur; An. 1662. a. 8. Declaratur; An. 1662. a. 6.